DE ROMANA

S. PETRI CATHEDRA

ORATIO

Habita in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. OPT. MAX.

A PETRO ZAMBELLI.



ROMÆ MDCCXLV.
Typis Chracas, propè Sanctum Marcum in via Cursus.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Dño Nostro
BENEDICTO XIV.
PONT. OPT. MAXIMO.

PETRUS ZAMBELLI

Felicitatem.

AFFULSIT *hodie*, BEATISSIME PATER, *felix & fausta dies jam diu concupiscenti animo in votis habita, atque diuturna prece tandem aliquando à* DEO OPTIMO MAXIMO *impetrata, qua obse-*

obſequenti, & grati animi mei aliquod teſtimonium licèt exiguum Sanctitati Tuæ *ſedenti ſuper Cathedram SANCTI PETRI præſtare poſſem; quoniam hæc dies eſt, qua mihi omnium minimo ad Sanctiſſimos Pedes tuos humillime provoluto* Tibi *omnium* Maximo *& Supremo in Terris Vicario concionem hanc dicere, dicare, & vovere, non ſine peculiari beneficio contigit. Quid acceptius, quid jucundius, quid optabilius mihi evenire potuiſſet, ſanè non video. Quamvis enim magna fuerit Clementiæ Tuæ dignatio, qua me omnibus meritis vacuum inter tuam ſplendidiſſimam ab honore familiam cooptare non es dedignatus, hoc tamen novum & ampliſſimum Paſtoralis ſollicitudinis beneficium, quo me ad dicendum elegiſti, poſthabitis tot diſertiſſimis ac eruditiſſimis Viris, qui Aulam Tuam vel componunt vel frequentant, quique eloquentiæ flumine Leoniano non ſolum coram Venerabili Eminentiſſimorum Patrum Senatu, ſed etiam in præſentia* Sanctitatis Tuæ *Cathedræ SANCTI*

PE-

PETRI præconia pro meritis celebrassent, mihi semper ponendum erit in maximo beneficio & pro cæteris omnibus reputandum. Sed in tanta felicitate, ac lætitia vehementer timeo, ne mea in dicendo tenuitas, atquè imperitia eam fefellerit expectationem, quam de me PATER SANCTISSIME *forsitan concepisti. Eja tamen accipe typis editum illum sermonem meum tuis auribus clementer exceptum, & ignosce quæso si donum est perexiguum. Dignitas argumenti, plumbeam elocutionem cum fœnore compensabit. Tibi unice debebatur isthæc nuncupatio, quoniam Tu ille es, qui totius Christiani Orbis exultatione super Cathedram PETRI sedes, & tenes Magisterii Cœlestis in Terris Principatum. Felix infelicissimorum temporum reparatio! Etenim Te Pastore, Te Principe media inter arma duorum Exercituum Urbis mœnibus proximorum Romam servasti pacatam, tutam, quietam, atquè omni annona refertam, interim quotidie exorans Augustissimum* CORPORIS CHRISTI SACRAMENTUM (*per*

quadragenas horas perenniter in Urbe expositum publicæ Fidelium venerationi) ut clementissimus Deus donet in Principibus pacem & faciat in Populis tranquillitatem. Sede annos PETRI BENEDICTE SANCTISSIME *& mihi in genua provoluto impertire Apostolicam* Benedictionem.

ORA-

ORATIO.

NON ſine Divino conſilio à majoribus noſtris conſtitutum eſt, ut ii, qui vel Eccleſiam ſuo ſanguine fundavere, vel jam fundatam vitæ ſanctimonia, eximiiſque virtutibus, ſignis, ac prodigiis adauxere, à Chriſtifidelibus peculiari cultu religionis quotannis ſtata die colerentur; atque eorum præclara facinora, temporum oblivioni prærepta, honorifica celebrarentur Oratione, ut ita ad fuganda vitia, virtuteſque amplectendas magnum Catholicæ Plebi porrigeretur incitamentum.

Quo

Quo ergo laudum præconio, quo cæremoniarum ſolemni ritu excolemus hanc fauſtam ſacramque diem *Cathedræ Sancti Petri* nuncupatam, cujus ampliſſimas dotes, ac ſingulares prærogativas univerſus Chriſtianus Orbis veneratur, & colit? Officii mei partes eſſe nunc eas vobis oſtendere, Auditores, intelligo, quomodo ſcilicet Sancta Romana Sedes cunctis Orbis Eccleſiis ſupereminent, ut magiſtra Fidei, utque moderatrix & arbitra Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Antiquiſſimum ſanè, æque ac celeberrimum ab ipſis Eccleſiæ primordiis fuiſſe Feſtum *Cathedræ Sancti Petri* unanimi calculo veriora totius antiquitatis comprobant monumenta. Atque incredibili gaudio hodierna ſolemnitas ubique celebrabatur, cum ex ea Fideles intelligerent, Eccleſiæ Romanæ fuiſſe adjectam ſupremam poteſtatem, quæ non ſolum exivit in omnem Terram, & in fines Orbis terrarum, ſed etiam Cœlos pertingens, ditionis ſuæ terminos ampliavit, ob illam magnificam clavium traditionem, in qua Petro dictum eſt, ut quidquid ſolve-

ſolverit ſuper Terram, eſſet ſolutum & in Cœlis. Nemo veſtrum eſt, qui non norit, qua dilectione, & amore, quibuſque prærogativis Petrus a Chriſto fuerit honoratus, cùm illi Eccleſiæ gubernandæ tradidit poteſtatem. Lapis ille angularis Chriſtus Dominus, qui fecit utraque unum, in Petro, velut in ſolidiſſima Petra, fundavit Eccleſiam ſuam, eique pro magnifica confeſſione Oves paſcendas tradidit, ac juſſit arcere Lupos, qui à portis inferi erumperent, Gregem devoraturi. Quamobrem divino edocti Magiſterio Fideles, Petrum ſupremum Collegii Apoſtolici Principem, & totius Catholicæ Eccleſiæ caput ſuſpiciunt & venerantur. Hujuſmodi verò Principatus dignitas à Divo Petro in ejus legitimos ſucceſſores hæreditario divino jure, Romæ conſtabilita Cathedra effluxit; Urbemque hanc Terrarum Dominam, Cathedra Piſcatoris cœleſti magiſterio decoravit. Hæc Populos confluentes ad ſe, doctrinam docuit Evangelicam: hæc Urbem triumphis, atque Imperatoria dignitate præclaram, ſupernis oraculis

culis reddidit illuſtriorem: hæc, ad majus honoris incrementum, Petri ſanguine purpurata, ejuſque prætioſi Corporis theſauro locupletata, omnibus antecellit. Gaude ergo Roma, & lætare, quæ cum antea fueris mater erroris, ad Petri adventum, effecta es magiſtra veritatis, & Catholicæ religionis tutiſſimum fundamentum. Tu doctrinam ab Apoſtolorum Principe traditam puram illibatamque cuſtodis; & quoniam es Chriſti ſponſione firmata, portas non times inferi, quæ non prævalebunt adverſus Te. Igitur optimo jure factum eſt, ut ad fidei unitatem ſartam tectamque ſervandam omnes Chriſtiani Populi ad te confluentes adveniant tibique ſubjectionem præſtent, & obedientiam. Tu enim omnium Eccleſiarum Mater, & Princeps es. Itaque Auditores Cathedram Sancti Petri veneremur, atque in genua provoluti teneamus Confeſſionem; gratias agentes Deo, qui Urbem hanc conſtituit Hæredem Magiſterii, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam principalem, ut omnes Chriſtiani Populi, à Petri Cathedra,

dogma-

dogmata, ritus, ſacraſque cæremonias ſuſcipiant; utque à prima Sede cæteræ edoceantur, ad Fidei myſteria explicanda, ad compeſcenda perverſorum hominum vitia, atque ad hæreticorum falſa dogmata radicitus extirpanda. Sed, quoniam temporis anguſtia me cogit, ut faciam dicendi finem, cum S. Leone Magno Orationi terminos ponam, lætabundus exclamans: ab hac Petri Cathedra ſunt concludendæ Philoſophiæ opiniones, ab hac diluendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, ab hac confutandi dæmonum cultus, ab hac denique omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, ut quæ in Terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in Cœlo.

F I N I S.